

Alte Drucke

**PRIMA RV || DIMENTA ETHICAE || Pro incipientibus huic
Stu=||dio operam dare.|| EX PHILIPPI MELAN=||thonis
Libellis per Doctorem || Nicolaum Medlerum ...**

Medler, Nicolaus

Magdeburg, 1550

VD16 ZV 27951

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149102

21

PRIMA RV
DIMENTA ETHICAE

Pro incipientibus huic Stu-
dio operam dare.

EX PHILIPPI MELAN-
thonis Libellis per Doctorem
Nicolaum Medlerum
collecta.

1550.

DOCTISSIMO VIRO,
MAGISTRO IOANNI

Sturioni, in Curia Nariscon-
rum, bonas literas profiten-
ti, genero suo exoptatis-
simo. S. D.

VT CAUSAS CAETERAS,
charissime gener, omittam,
uel uulgi saltem iudicium,
quod magis in Scholasticis mo-
res, q̃ literarum studia obserua-
re, & ex illis etiã de docentium di-
ligentia, potissimum iudicare so-
let, omnes puerorum præcepto-
res admonere debet, ut non tan-
tum artium, sed & uirtutum præ-
cepta, quacuncq; ratione id modo
facere possint, suis discipulis quo-
tidie proponant, & assidua sedu-
litate inculcent.

Quare

Quare ut esset certa quædam &
breuissima, huius artis, quæ præ-
cepta de moribus tradit, formula,
pueris in particularibus scholis
proponenda, collegi ex Reueren-
di Viri, Domini Philippi Melan-
thonis, præceptoris nostri, sum-
ma fide semper colendi, Ethicæ
libellis, communissima quædam
de uirtutibus, quæ præcepta pro-
pterea ad te mitto, ut non solum
nostros filios, Martinum, Nico-
laum & Iosuaam, quos tibi & Ma-
gistro Streipergero, cognato &
affini tuo, mihi uero æque charis-
simo genero, in fidem uestram to-
tos commisi, Verum etiam, &
patriæ nostræ, reliquam commu-
nem iuuentutem honestis literis
deditam, diligenter in eis exerce-
as, ut

as, ut sic ab ineunte ætate, studi-
um honestatis, bonis artibus con-
iungere discant. Cum quibus te
una cum uxore, filia nostra Ester,
Christo Iesu Filio Dei æterni Pa-
tris, domino & saluatori nostro,
ardentibus uotis sedulo commen-
do, & precor ut uos omnes diu
incolumes conseruare, & omnia
uestra officia, in communem
Ecclesiæ usum, sui uero nominis
gloriam, regere ipse dignetur, A-
men. Brunswigæ Dominica Pal-
marum, qua Christiana inuen-
tus, Christo filio Dauid sempiter-
no regi, pium Hosanna innocen-
ti ore cantare solita est. A N N O.

1550.

Nicolaus Medler, sacre
Theologiæ Doctor.

A 3

Prima

PRIMARV DIMENTA PHILOSOPHIAE MORALIS.

Quid est Philosophia Moralis?

Est certa quædam scientia de moribus, quæ præcepta morum docet, & præceptorum causas in natura positas habet.

Quot sunt partes Philosophiæ moralis?

Tres.

Ethica, Politica, & Oeconomica.

Quid est Ethica?

Est ars quæ mores & uirtutes omnibus hominibus communes docet.

Quare uocatur hæc ars Ethica?

Quia in affectibus quandam moderationem, & suauitatem efficit, non enim seniores & suauiores mores significat.

Circa

Circa quas res uersatur Ethica?

Circa singulas actiones siue officia hominis, uel circa inquisitionem finis hominis.

Quis est finis hominis?

Secundum legem Dei finis hominis est obedire Deo, & gloriam eius illustrare.

Secundum Euangelium finis hominis est credere in Christum, id est, oblatam misericordiam DEI in Christo agnoscere & accipere, et pro illo beneficio Christi, Deo uicissim esse gratum, illi obedire & eius gloriam illustrare.

Secundum Philosophos.

Finis hominis est obedire rectæ rationi, & id Aristoteles appellat actionem uirtutis.

Proba actionem uirtutis esse hominis finem.

Cuiuslibet naturæ propria actio est eius finis,

Actio uirtutis est propria actio hominis.

A 3

Ergo

Ergo actio uirtutis est finis hominis.

Quid ergo est officium hominis?

Actio uirtutis.

Quid est actio Virtutis?

Est omnis actio cuius probabilis reddi potest ratio.

Quid est Ratio?

Est quæ præscribit quare quid honestum, uel inhonestum sit.

Vel,

Est rectum hominis iudicium, secundum quod homo quid honestum, aut inhonestum sit, iudicat.

Quot sunt officia Rationis?

Duo, iudicare de moribus siue de actionibus, & inquirere naturam,

Quid est actio?

Est coniunctio ad id quod patitur.

Quotuplex est Actio?

Triplex

Triplex, Naturalis, Ciuilis & Sacra.

Quid est actio Naturalis?

Est actio, quæ non uoluntarie fit, sed
a natura procedit.

Quid est actio ciuilis?

Quæ uoluntaria est, & omitti potest.

Quid est actio sacra?

Est actio, quæ fit cum timore DEI.

**Quæ requiruntur ad actio-
nem uirtutis?**

Duo, λόγος & ὄρεξις.

Quid est λόγος?

Est certum iudicium rationis.

Quid est ὄρεξις?

Est motus siue affectus, qui impellit
ad agendum.

**Ad quid prodest studium
Ethicæ?**

Ad excitandos animos ad amorem
rerum honestarum, præsertim in bonis

A 5

ac me-

ac mediocribus ingenijs.

Quid interest inter leges Magistratum & Philosophiam
Moralem?

Leges magistratum continent nuda præcepta, sine causis & rationibus. Philosophia uero quærit necessarias præceptorum rationes in ipsa natura positas.

Est ne Christianis usus huius
Philosophiæ concessus?

Maxime, est enim pars legis diuinæ, nempe explicatio legis naturæ.

Quid interest inter Euangelium & Philosophiam?

Euangelium est promissio Dei, quæ nobis gratis propter Christum, peccatorum remissionem & reconciliationem cum Deo pollicetur.

Philosophia autem Moralis tantum legis diuinæ pars est, quatenus eam ratio peruidet.

Quid est lex diuina?

Est doctrina quæ præcipit, quales nos
coram

coram Deo & hominibus esse oporteat.

Quid est lex Naturæ?

Est ipsa lex DEI, & lumen diuinitus mentibus nostris insitum, de his uirtutibus quas ratio intelligit.

Vel est iudicium de actionibus ciuilibus.

Quid est uirtus?

Est habitus qui inclinat uoluntatem ad obediendum rectæ rationi.

Quot sunt causæ uirtutum?

Tres, Habitus, uoluntas obtemperans, ratio siue noticia gubernatrix.

Quare tantum tres sunt causæ uirtutum?

Quia tria sunt in anima quæ uirtutem efficiunt, nempe potentia, affectus, & habitus.

Quid est potentia?

Estabilitas subiecti, ad suscipiendum actum.

Quo-

Quotuplex est potentia ?

Duplex, Rationalis, & Irrationalis.

Quid est potentia Rationalis ?

Est id quod in iudicium, siue mentem, & in appetituum, diuiditur.

Quid est potentia Irrationalis ?

Est quod diuiditur in sensituum & uegetatiuum.

Quam ergo causam uirtutis
constituit potentia ?

Rationem, siue noticiam gubernatricem, hoc est, mentem.

Quid est affectus ?

Est breuis uel durabilis motus, quo sensus aut uoluntas prosequitur, aut fugit rem oblatam.

Quæ sunt organa affectuum ?

Cor & alia membra, quæ ciuntur affectibus.

Quotuplices sunt affectus ?

Duplices

Duplices, Boni & Mali.

Quid sunt affectus boni?

Qui cum natura consentiunt, ut
amor parentum, coniugum, amico-
rum etc.

Vnde ueniunt boni affectus?

Ex creatione Dei, sunt enim creatu-
ræ Dei, culpantur tamen, quando sine
timore & amore DEI sunt.

Quomodo uocantur græce
tales affectus?

σοφῶν φρόνησις quia sunt multarum
uirtutum initia.

Quid sunt affectus mali?

Qui a ratione dissentiunt, ut ambitio,
inuidia etc.

Vnde oriuntur isti affectus?

A peccato originis, quod efficit ut
nihil nisi nostræ utilitatis, aut uoluptatis
causa appetamus?

Quot sunt genera affectuum?

Quatuor

Quatuor, Læticia, Spes, Dolor, & Me-
tus.

Quid est Læticia ?

Est affectus quo præfenti bono fru-
imur.

Quid est Spes ?

Est quo futurum bonum prosequi-
mur.

Quid est Dolor ?

Est quo præfens maum auersamur.

Quid est metus ?

Est quo futurum malum fugimus.

Vnde fiunt cæteri affectus ?

Ex his quatuor generibus quando
inuicem miscentur.

Vnde fit Amor ?

Ex Spe & Læticia.

Vnde fit Ira ?

Ex dolore & cupiditate uindictæ.

Vnde

Vnde oritur Misericordia?

Ex dolore & amore.

Quam causam uirtutis constituit affectus?

Voluntatem.

Quid est Voluntas?

Est affectus, qui serio appetit ea, quæ sunt tanquam bona ostensa, & fugit ea, quæ tanquam mala ostensa sunt.

Quid est obiectum uoluntatis?

Est ens, quod aut tanquam bonum, aut tanquam malum ostenditur.

Est ne hominis uoluntas libera?

In externis & ciuilibus officijs, aliquam uoluntas humana libertatem habet, quam Aristoteles *προαιρεσις*, id est, electionem uocat, licet eam interdum magna uel Diabolus ad horribilia flagitia rapiat, ideo cum timore auxilium Dei semper est implorandum. In spiritualibus uero motibus erga DEum, prorsus ni-

sus nihil sine spiritus sancti auxilio, humana uoluntas potest.

Quid est Habitus ?

Est qualitas animi uel corporis, consuetudine agendi parata, qua facilius aut certius aliquid agimus.

Quotuplex est habitus animi ?

Duplex.

Habitus intellectus & uoluntatis:

Quid est habitus intellectus ?

Est rerum, artium & scientiarum cognitio.

Quotuplex est habitus intellectus ?

Triplex.

Ars, Scientia & prudentia,

Quid est Ars ?

Est cognitio rei longo usu confirmata, ex certis principijs, certas conclusiones habens.

Quid

Quid est Scientia?

Est cognitio per demonstrationem
acquisita, & quæ artis demonstrationes
habet.

Quid differunt ars & scientia?

Ars in usu, Scientia in demonstrati-
one uersatur.

DE PRVDENTIA.

Quid est prudentia?

Est uirtus quæ de omnibus actioni-
bus & moribus deliberat.

Circa quam rem uersatur
prudentia?

Circa inquisitionem ueritatis, reli-
quæ autem uirtutes circa præsidia huma-
næ societatis uersantur.

Quod est proprium officium
prudentiæ?

Inquirere de omnibus actionibus.

B

Quæ

Quæ est causa prudentiæ?

Quod in primis inquisitio ueri, hominis propria est.

Quare prudentia est uirtus?

Quia turpe est errare, id quod tota rerum natura concludit.

Quare Aristoteles prudentiam negat esse uirtutem?

Quia est hominis iudicium, quod quidem nec malis deest.

Quot præcepta habet prudentia?

Duo.

Primum est, ne incognita pro cognitis habeamus, & ne his temere assentiamur.

Secundum, ne nimis magnum studium multamq; operam in res obscuras, atq; difficiles conferamus.

Est ne uirtus habitus uel affectus?

Est ha-

Est habitus.

Quare?

1 Quia affectus nobiscum nascuntur,
habitus uero non.

Secundo quia a uirtute laudamur,
& non ab affectibus.

Tertio quia affectus præcurrit rati-
onem, uirtus autem non præcurrit.

Quid est habitus uoluntatis?

Est hominis affectus, ex quo uel uiti-
um, uel uirtus, per consuetudinem agen-
di, nascitur.

Circa quas res uersatur uirtus?

Inter duo uitiosa, quæ defectum, uel
excessum habent. Est enim uirtus medi-
um, inter illud quod parum, & id quod
multum est.

Inter quæ ergo duo uersatur
prudentia?

Inter imprudentiam & φιλαυσίαν.

Quid est imprudentia?

B 2

Est ho-

Est hominis uitium, quo sine ulla ratione & consilio temere suum officium aliquis facit.

Quid est *φιλανθρωπία*?

Est uitium quo homo sciens amore sui deceptus, tantum ea quæ ipse facit, bona & iusta esse iudicat.

Quotuplex est medium?

Duplex.

Aliud enim secundum rem, & aliud secundum nos est.

Quid est medium secundum rem?

Quod undiq; iuxta ab extremis distat, secundum proportionem Arithmetica, ut 1, 2, 3. Hic enim medius numerus, primum unitate superat, & superatur unitate a tertio.

Quid est medium secundum nos?

Quod alias propius accedit ad alterum

rum

rum extremorum, & quod uir prudens
alias aliter sumendum esse iudicat, secun-
dum Geometricam proportionem.

Quid est proportio?

Est duarum quantitatum eiusdem
generis, inter se comparatio, ut collatio
4 ad 2, dicitur proportio dupla.

Quid est proportio Arithme- tica?

Est cum tres termini ita ponuntur,
ut medius æqualibus numeris, & excedat
primum, et excedatur ab ultimo, ut 2, 4, 6.
& hæc proportio appellatur continua.

Quid est proportio continua?

Est in qua tantum tres limites po-
nuntur, & medius numerus reperitur, ut
8, 4, 2. Sicut enim se habent 8, ad 4, ita eti-
am se 4, habent, ad 2.

Ad quid prodest huius conti- nuæ proportionis cognitio?

Quia secundum hanc uirtus existit

B 3 medium

medium, inter duo extrema.

Ad quid prodest cognitio proportionis Arithmeticae?

Ad cognitionem iusticiae commutativae, in qua res secundum earum aestimationem commutamus, nullius personae respectu, ut quando modius tritici aequali precio, principi et ciui uenditur.

Quid est proportio Geometrica?

Est quando quatuor termini positi (quorum bini ac bini se inuicem respiciunt) aequalem inter se proportionem constituunt, ut sicut se 8 ad 4, habent, ita etiam se habent 6 ad 3, & haec proportio alio nomine discreta dicitur.

Quid est proportio discreta?

Est in qua limites quatuor expresse ponuntur, ut sicut se habent 4 ad 2, ita se quoque habent 10 ad 5.

Ad quid prodest intelligere proportionem Geometricam?

Ad cog

Ad cognitionem iusticiæ distribu-
riæ, quæ secundum personarum digni-
tatem, res & officia distribuit. Vt quan-
do principi maior sumptus, & maius of-
ficiū, quam cui constituitur.

Quæ sunt causæ efficiētes
uirtutum?

Causæ efficiētes uirtutum sunt du-
plices, principales & minus principales.

Quæ sunt principales?

Mens & uoluntas, id est, iudiciū
mentis, & uoluntas obtemperans.

Quid est rectum iudiciū
mentis?

Sunt noticiæ naturales, lex diuina,
& aliæ leges honestæ.

Quæ sunt minus principales cau-
sæ efficiētes uirtutum?

Impetus naturales qui a græcis φύ-
σικαι ἀφαι dicuntur, deinde doctrina,
consuetudo seu disciplina.

B. 4

Quæ est

Quæ est causa materialis
uirtutum ?

Materia in qua, est hominis uoluntas, materia circa quam, sunt uirtutum obiecta, discrimina personarum, contractus, & affectus.

Quæ est causa formalis ?

Formalis causa est illa ipsa actio seu motus, quo uoluntas obtemperat recto iudicio, & efficit id, quod est honestum.

Quæ est causa finalis ?

Causa finalis est duplex. Principalis & minus principalis.

Quæ est principalis ?

Secundum philosophos est ipsa uirtus sibi finis, quia honestum propter se expetendum est.

Theologice uero. Principalis finis uirtutum est ipse Deus, seu gloria Dei.

Quæ sunt minus principales
finales causæ uirtutum ?

Virtutum

Virtutum præmia, foelicitas, & reli-
qua uitæ commoda, diuinitus uirtuti
promissa.

Quid est Foelicitas?

Est hominis actio, secundum opti-
mam & perfectissimam uirtutem, in ui-
ta perfecta.

Quomodo definit Aristoteles
uirtutem?

Virtus est habitus electiuus, qui medi-
ocritatem efficit, quam ratio præscribit,
sicut ratio iudicat.

Genera uirtutum quot sunt?

Quatuor.

Prudentia, Iustitia, Fortitudo, & mo-
destia. Quæ etiam uirtutes cardinales
dicuntur.

DE IVSTICIA.

Quid est Iusticia?

Est constans & perpetua uoluntas,
ius suum unicuique tribuens.

B 5

Ad quid

Ad quid prodest iusticia?

Ad conseruandam communem societatem hominis.

Quæ sunt præcepta iusticiæ?

Legibus parere.

Neminem ledere.

Pacta seruare.

Distincta dominia seruare.

Quotuplex est iusticia?

Duplex, uniuersalis & particularis.

Quid est iusticia uniuersalis?

Est obedientia erga omnes leges, qua debitum reddimus gubernatoribus, & complectitur omnes uirtutes.

Quid est iusticia particularis?

Est uirtus quæ in iudicijs & contractibus, suum cuique tribuit.

Quid significat iusticia Theologicæ?

Secundum Paulum iusticia significat imputationem seu diuinam acceptationem

rationem, qua propter meritum Christi
apud Deum gratis reputamur iusti.

Quot sunt species iusticiæ
particularis?

Duæ, Distributiva & commutativa.

Quia in uniuersa uitæ societate, tan-
tum duo commutationis genera sunt.
Aut enim res commutamus, seu commu-
nicamus. Aut ordinamus personas in
magistratu.

Quomodo commutantur res?

Per contractus.

Quid est contractus?

Est ultro citroq; obligatio.

Quid est obligatio?

Est mutua quædam concessio.

Quid est iusticia commutativa?

Est quæ communicat æqualia pro
proportionem Arithmetica, id est, quæ
simpliciter rerum æqualitatem efficit, si-
ne collatione personarum, & est œcono-
mica cum rebus tantum agens, æquali-
tatem

tatem non gradus conseruans.

Quid est distributíua Iustícia?

Est personarum ordinatio, in omniuita, publica & priuata, iuxta proportionem Geometricam, uidelicet qua gradus officiiorum & personarum constituuntur, & idoneis aptæ functiones tribuuntur, agitq; cum personis.

Quid est Ius?

Est noticia & facultas agendi, secundum hanc noticiam.

Quotuplex est Ius?

Dupelx, Ius naturæ, & Ius positium.

Quid est ius naturæ?

Ius naturæ dicuntur noticiæ naturales, hoc est, principia practica, & conclusiones, recta & necessaria consequentia ex illis principijs ortæ, de actionib⁹ quæ in hac societate conueniunt homini.

Quæ sunt illa principia legis naturæ?

Quæ

Quæ in Cathalogo præceptorum traduntur.

- 1 Homines DEVM agnoscere & ei obedire.
- 2 Procreatio & educatio sobolis est secundum naturam.
- 3 Connubia sunt certis legibus contrahenda.
- 4 Vagi concubitus sunt prohibendi.
- 5 Nemo est lædendus.
- 6 Magistratus sunt constituendi ad defendendam communem tranquillitatem, necesse est igitur parere magistratui.
- 7 Res sunt diuidendæ, ut tranquillitas seruari possit.
- 8 Suum cuiq; est tribuendum.
- 9 Veritas est colenda.
- 10 Pacta sunt seruanda.

Quid est Ius positivum ?

Est sententia magistratus, quæ addit ad ius naturale circumstantiam aliquam, ratione probabili, non necessaria. Vel est determinatio quædam iuris naturalis, ad certum modum propter aliquas circumstantias, quod tamen non debet pugnare cum iure naturali.

Quo-

Quomodo diuiditur ius posi-
tium seu scriptum?

In ius summum & in ἐπιεικίαν.

Quid est ius summum?

Est quando leges seuere sine mitiga-
tione ullius circumstantiæ usurpantur,
q̄ uulgo ius strictū & græci ἀκριβοδικαί-
ον uocant.

Quid est ἐπιεικία?

Est mitigatio legis in aliqua circum-
stantia, Non enim approbat delicta, sed
mitius interdum ea punit propter ali-
quam circumstantiam.

Quæ est ratio ἐπιεικίας?

Quia inferiores leges superioribus
corriguntur.

Quot sunt causæ efficientes ἐπιεικίας?

Dux, Iudicium, & uoluntas.

Quis est finis ἐπιεικίας?

Mitigare pœnam delictorum.

Quot sunt genera delictorum?

Duo, uoluntarium, & inuoluntarium.

Quid est delictum uoluntarium?

Est delictum in quo consilium & li-
bera uoluntas adhibetur.

Quid

Quid est delictum inuoluntarium?

Est cum uel consilium non adhibetur, uel uoluntas nō prohibetur, aut succumbit, & peccat in re impossibili per ignorantiam.

Quid est Ignorantia?

Est facti uel iuris error, iuxta hanc regulam iuris:

Ignorantia facti, non iuris excusat.

Quotuplex est ignorantia?

Triplex, quædam est coniuncta cum cupiditate, ut quando delinquit ebrius, hæc non excusat.

Secunda quæ iuris est ignorantia affectata, & crassa seu uniuersalis, quando aliquis ea quæ maxime oportuit scire, negligit, hæc poenam meretur.

Tertia est quando adhibita iusta diligentia tamen erratur, sine cupiditate in aliqua circumstantia, quæ mediocri diligentia adhibita, non potuit deprehendi, hæc habet excusationem.

Quando excusat Ignorantia facti?

Quando factum nō est uoluntarium.

Excusat

Excusat ne interdum etiam ignorantia iuris?

Ignorantia iuris naturalis & diuini non excusat, sed ignorantia iuris positiui nonnunquam excusat.

Quare iusticia est uirtus?

Quia est medium inter defectum & exuperantiam.

Qui est defectus Iusticiæ?

Iniusticia qua contra leges alter alteri iniuriam facimus, dum ei quod suum est non reddimus.

Quæ est iusticiæ exuperantia?

Iustitia pharisaica, qua homines in specie iusti perhiberi uolunt, cum reuera non sint.

Quæ sunt species Iusticiæ?

Pietas, Liberalitas, Gratitude, Humanitas, & Amicitia.

Quid est pietas?

Est pius

Est pius affectus, erga DEVM, quo
eum secundum uerbum suum colimus,
& quo cognatis & magistratibus ius su-
um, nempe honorem tribuimus.

Quí est huius uirtutis defectus?

Impietas quæ nec Deum nec homi-
nes ueretur, sed omnia diuina & honesta
contemnit.

Quæ est huius uirtutis exupe-
rantia?

Hypocrisis quando homines in ex-
terna aliqua specie, sanctitatem quan-
dam præ se ferunt, cum re ipsa tales non
sunt, quales uidere uolunt.

Quíd est liberalitas?

Est uirtus quæ cōmunicat officia, &
in distribuendis rebus decorum seruat.

Quare communicat officia?

Quia etsi ea priuatim non debentur,
debentur tamen communi societati
hominum, quæ postulat ut alios pro
uiribus iuuenus.

C

Quod

Quot sunt huius uirtutis genera?

Duo. Vnum dandi beneficium, quod beneuolentia dicitur. Alterum reddendi beneficium, & uocatur gratitudo.

Quid est Beneuolentia?

Est uirtus qua homines ultro in necessitate, se inuicem iuuat, et alter alteri operam & officium suum liberaliter communicat.

Quot sunt praecepta Liberalitatis?

Tria, Primum ne cui noceat nostra liberalitas, nobis aut alijs. Secundum ne maior sit benignitas quam facultas. Tertium ut cuique pro dignitate tribuatur.

Qui est liberalitatis defectus?

Sordes quando homines auari, inuiti, parce uel omnino non communicant sua officia, ubi necessitas uel honestas id postulabat.

Quae est exuperantia?

Profusio siue prodigalitas, quando homines

homines profusi, sine ratione, ubi nec utilitas, neq; necessitas postulabat, res suas profundunt.

Quid est Grátitudo?

Est uirtus qua pro beneficio officium reddimus.

Quis est eius defectus?

Ingratitudo, quæ neq; agnoscit neq; retribuit beneficium.

Quis est eius excessus?

Quando nimis sæpe uerbis tantum, gratias agendo homines obtundimus, neq; habet uocabulum, quia non sæpe in hanc partem homines peccant.

Quid est Humanitas?

Est uirtus qua homines uirtutis & amicitia gratia, ultro alijs officia sua communicant, quæ græcis φιλανθρωπία dicitur.

Quis est eius defectus?

Inhumanitas quæ ab hominum cōuersatione & amicitia abhorret, quæ græcis μισανθρωπία appellatur.

C 2

Quæ

Quæ est eius exuperantia?

Blandities siue falsa humanitas, quæ utilitatis causa, gestu & uerbis tantum, sine affectu cordis amicitiam fingit.

Quid est Amicitia?

Alia dicitur, uirtus
Est mutus amor & consensus, in rebus iustis, & honestis, cum beneuolentia iunctus. Ve est uirtus qua pro beneuolentia, mutuam beneuolentiam reddimus.

Quis est eius defectus?

Morositas uel inimicitia.

Quid est Morositas?

Qua omnia officia alterius, quæ ipse tamen amicitiae causa facit, nobis displicent.

Quid est inimicitia?

Est alteri aduersari, & resistere in quibuscunq; rebus illi nocere possumus.

Quis est amicitiae excessus?

Assentatio, qua nostri commodi causa

causa alterius facta & dicta, siue honesta
siue inhonesta sunt, approbamus.

Quare istæ uirtutes omnes sunt
species iustitiæ?

Quia ad conseruandam societatem
humanae uitæ omnes pertinent.

DE FORTITVDINE.

Quid est Fortitudo?

Est uirtus quæ inter timorem & au-
daciã, mediocritatem conseruat, ita ut
non discedat a ratione, metu periculi
honesti, nec contra rationem, audendo
et inconsulto animi impetu, ad agendũ
aliquid succipiat.

Quotuplex est fortitudo?

Duplex, Bellica & Togata.

Quid est fortitudo Bellica?

Fortitudo bellica siue imperatoria
est propugnatrix iustitiæ, quæ in heroi-
cis animis tantum existit.

C 3

Quid

Quid est Togata?

Togata siue politica, est uirtus quæ tranquillitatem animi conseruat, ne contra rationem, uel cupiditate aliqua, uel dolore moueatur.

Quid est officiū fortitudinis?

Est moderari timorem & audaciam.

Quid est obiectum fortitudinis?

Periculum seu dolor, Nam & timoris obiectum periculum est, & quicquid terribile est.

Quæ sunt causæ efficientes fortitudinis?

Iudicium rationis, & uoluntas ad sue, facta ad parendum, atq; obediendum rationi.

Quæ est causa materialis?

Materia circa quam uersatur est obiectum, metus scilicet, uel contemptus periculi, materia autem in qua est animus.

Quæ est causa formalis?

Est ipsa

Est ipsa timoris & audaciæ moderatio.

Quæ est causa finalis?

Finalis causa suscipiendi periculi est depulsio turpitudinis, ne quid turpe committatur, seu ne quid fiat contra rationem & honestatem.

Quare est fortitudo uirtus?

Quia est medium inter excessum & defectum.

Quis est fortitudinis defectus?

Timiditas, & est quando propter metum periculi, turpe aliquid admittimus.

Quis est excessus fortitudinis?

Audacia, qua temere & inconsulto, sine necessitate periculum aliquod subimus.

Quæ sunt fortitudinis Species?

Magnanimitas, Mansuetudo, patientia, constantia & generositas.

C 4

Quid

Quid est Magnanimitas?

Magnitudo animi est, quando alacres & intrepidi sumus ad agenda nostra officia, & pericula & labores qui nobis inde oriuntur contemnimus, hanc uirtutem græci μεγαλοψυχία uocant.

Quis est eius defectus?

Humilis animus, quando ob timorem officia nostra, quæ tamen honesta sunt, omitimus, hoc uitium græcis μικροψυχία dicitur.

Quis est eius excessus?

Fastus qui græcis Γαυανσία dicitur, est quando scientia inflatus aliquis nimium audacter officium suum facit.

Quid est Mansuetudo?

Est moderata & immobilis in re aduersa animi tranquillitas.

Quis est eius defectus?

Lentus animus, qui stupore perterritus, damnum siue periculum non sentit.

Quis

Quis est eius excessus?

Iracundia, quando ob acceptum
damnum, animus nimium perturbatur
& furit,

Quid est patientia?

Est perpersio, & dissimulatio labo-
rum & molestiarum honestatis gratia.

Quotuplex est patientia?

Duplex, Philosophica & Christiana.

Quid est patientia philosophica?

Est obedientia qualiscunq; erga ra-
tionem.

Quid est Christiana?

Est obedientia erga Deum in fide &
spe misericordiae suae.

Quid est Spes?

Est perpetua fiducia & expectatio
euentus.

Quid est Fiducia?

Est affectus, qui sequitur noticiam &
assensum illum uerbi Dei, Semper enim
affectus sequi solet noticiam.

Quotuplex est assensus?

C 5

Duplex

Duplex, Firmus ut fides & fiducia,
infirmus ut opinio.

Quid est opinio?

Est incerta rei notitia.

Quid est defectus patientiæ?

Impatientia, quando aliquis labores & molestias sui officij indigne fert, & pro id minus officium suum facit.

Quis est patientiæ excessus?

Quando quis turpia & se indigna patitur.

Quid est constantia?

Est infracta hominis uoluntas, quæ neque molestia aliqua, neque difficultate rei mouetur, ut ab honesto suo proposito turpiter desistat.

Quis est eius defectus?

Desperatio, quando aliquis propter rei difficultatem, ab honesto suo proposito turpiter desistit.

Quis est eius excessus?

Pertinacia

Pertinacia, quando aliquis cum honeste licet, a proposito suo, quod tamen efficere non potest, non desistit, donec postea turpiter succumbat.

Quid est Generositas?

Est libertatis fortis quædam defensio.

Quis est eius defectus?

Deiectio animi, quando aliquis se turpiter in seruitutem dat.

Quis est eius excessus?

Tyrannis quando ui & sine iure, cum alterius iniuria, libertatem suam aliquis quærit aut defendit.

Quare istæ uirtutes sunt species fortitudinis?

Quia omnes ad conseruandam animi tranquillitatem pertinent.

DE MODESTIA

Quid est modestia?

Est uirtus, quæ in gestu naturæ ac iudicio prudentum nos obsecundare cogit. Vel secundum Ciceronem, est uirtus quæ conseruat decorum.

Quid

Quid est decorum?

Est proportio facti ad iudicium rationis.

Quotuplex est decorum?

Duplex, Poeticum, & Philosophicū.

Quid est decorum poeticum?

Quando agitur id quod unam quamq; personam decet.

Quid est decorū philosophicū?

Quod circa omnem honestatem uersatur, & sic decorum tantum id, quod recte & iuste fit, dicitur.

Quotuplex est decorū philosophicum.

Duplex, Generale & Speciale.

Quid est decorum generale?

Est nihil facere contra naturam, & sic omnes uirtutes seruant decorum.

Quid est Speciale?

Quando in medijs rebus, ordinem & modum adhibemus.

Quare est modestia uirtus?

Quia inter excessum, & defectum media est.

Quis

Quis est eius defectus?

Immodestia, quando neq; modum,
neq; rationem, in actionibus nostris ad-
hibemus.

Quis est eius excessus?

Quando quis præter modum studet
ciuilitati, quod germani uocant prange.

Quæ sunt species modestiæ?

Humilitas, Veritas, Vrbanitas, Ve-
recundia, & Temperantia.

Quid est Humilitas?

Quando quis non nimium alte sa-
pit, & in dono suo, quod ipse præ cæte-
ris habet, neminem despicit, est tamen
magis Christiana, quam philosophica
uirtus.

Quis est eius defectus?

Stoliditas, qua quis donum, a Deo
sibi datum, non agnoscit, neq; recte
utitur.

Quis est eius excessus?

Superbia, quando homines nimi-
um in donis suis superbiunt, & sese supra
alios extollunt.

Quid

Quid est Veritas?

Est noticiæ & rei consensus, quo uerum a falso discernimus.

Quid est uerum?

Id quod est.

Quid est falsum?

Id quod non est.

Quid est ueritatis defectus?

Mendacium, quod est negatio ueri, & falsi pro uero affirmatio.

Quis est eius excessus?

Arrogantia, siue iactantia, quando aliquis sibi persuadet se magni aliquid esse, quod tamen non est.

Quid est urbanitas?

Est quando nos alijs honeste accommodamus, & quemlibet pro sua dignitate tractamus.

Quis est eius defectus?

Insulitas, quando sine discrimine & respectu personarum cum hominibus uersamur.

Quis est eius excessus?

Scurrilitas quando leuibus & turpibus

bus

bus uerbis, uel gestibus, hominibus placere studemus.

Quid est Verecundia?

Est moderatio sermonis, & gestus, ne turpe aliquid coram honestis personis admittatur.

Quis est eius defectus?

Stupor, quando autoritate aliorum ita expauescimus, ut officium nostrum præstare non ualeamus.

Quis est eius excessus?

Impudentia, qua liberius cum maioribus nostris, quam par est agimus.

Quid est Temperantia?

Est uirtus qua pro conseruatione naturæ, omnibus rebus moderate utimur.

Quis est eius defectus?

Abstinencia nimia, contra naturæ necessitatem.

Quis est eius excessus?

Intemperantia quando immoderate ad naturæ nostræ destructionem usque rebus utimur.

Quare sunt istæ uirtutes species

Modestiae?

Quia omnes ad conseruandum decorum pertinent.

FINIS.